



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. Non solis incipientibus aut imperfectis eam occupationem
commendatam esse debere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

Veruntamen plus audeat Seraphicus Doctor Bonaventura, qui eum alibi non semel ut receptum dogma posuisset; per ostium Humanitatis Christi intrandum esse ad ejus Divinitatem; demum in stimulo divini amoris eò prorumpit, ut dicat: *Quicumque ad contemplationis quietem & dulcedinem, nisi per illud ostium voluerit intrare, furem se reputet & latronem.* Nimirum ut si invito Deo in ejus bona ac dona involet, aut ea saltem alio titulo aut modo; quam ea Dominus donare intendat, usurpet.

Id igitur hoc loco ante omnia constitutum sit, & pro certo habendum: sanctissimam Christi Humanitatem in sensu quem proposuimus, viam esse ad ejus Divinitatem; & (si de consuetra loquamur Dei providentia) neminem ad præclarum aliquem divinæ, seu contemplationis, seu unionis amorisve mystici gradum admitti, nisi qui antea in Christi vita ac passione commeditanda, ejusque divinis virtutibus imitatione exprimendis, multum studij atque operæ posuerit. Quippe quemadmodum, ex universè recepto principio, ab imperfectis ad perfecta procedimus, & ab corporalibus ad incorporea, ab sensibilibus ad intelligibilia, gradum facimus: ita per humana Salvatoris nostri ad ejus divina traducimur. Et, cum eadem via perinde serviat ultro citroque comitantibus; velut Divinitas ad nos per Christum, sive per sacratissimam ejus Humanitatem ineffabili modo descendit: sic nos per eandem ad ipsum Deum ascendere, & facili foelicique compendio, ad ipsam in sese Divinitatem degustandam reduci quodammodo debemus.

§. 3.

Non solis incipientibus aut imperfectis eam occupationem commendatam esse debere.

Quamobrem quicumque spiritualis esse desiderat, & ad gradum aliquem Christianæ virtutis ac perfectionis pertinge-

tingere; is sese sedulo circa Christum crucifixum occupet, & in ejus vita ac passione exerceat: certus eam artem atque studium (si quis id serio constantèrque sequi instituat) sectatorem suum ad supremam statùs Evangelici absolutionem ac perfectionem rectà conducere.

Quòd si quemquam Deus sibi propiùs adjungere, atque ad sublimem contemplationis gradum provehere decrevit; is ad eò sciat sese hac ratione regiam ac tutam eò perveniendi viam insistere; & cum tempus fuerit, non labore suo, sed proprio Dei beneficio, aliùs sublevandum ac provehendum esse. Sin autem in gradu inferiori statùque communi relinquendus est, pergat is proinde in arrepto studio, atque in jam suscepta Christi crucifixi disciplina; eòq; pacto ad summam Christianæ vitæ, eamque solidam atque germanam perfectionem nitatur, quam satis constet in excelsis potiùs heroicisque virtutibus, atque in primis in amore Dei casto, puro, forti sitam esse, quàm in Dei donis singularibus & extraordinarijs, aut quamlibet sublimi rerum divinarum contemplatione. Nulla autem est Christianæ virtutis excelsitas, cujus non præclara atque efficacia documenta eluceant, in Domini nostri passione.

Cum & alioqui res magni sit plena periculi, sive ultro sese in Sponsi cœlestis intimam familiaritatem ingerere, sive ad eam sanè viâ aliâ, quàm exactâ virtutum Christi crucifixi imitatione grassari.

Quare neque ijs, qui gradum aliquem sive perfectionis Evangelicæ, sive etiam divinæ econtemplationis assecuti sint, eam circa Christum crucifixum occupationem omittendam esse, etiam paulò antè à nobis proposita mysticorum Doctorum svadet autoritas: quando eis præsertim convenit, per Christum ingredi atque egredi, quemadmodum illi exposuere.

Cæterum, quæ strictim ac breviter præsentis paragrapho

B

dixi-

diximus, consequentibus capitibus paulò explicatiùs tradenda sunt. Nam cùm non parùm sit periculi, ne contraria persuasio nonnullis imponat incautiorebus, eosque prætentâ præstantioris boni specie, à recta via perfectionis abducatur; placuit rem omnem operosiùs discutere, & istam, tanquam asceticam prolusionem præmittere; in qua, contra quam nonnulli volunt, efficaciter (nì fallor) demonstrabitur; assiduam animi circa Christi vitam ac passionem occupationem, & incipientibus viam spiritùs, esse omnino necessariam, & proficientibus studiosè retinendam, & perfectis quoque, atque (si ita vis) ad sublimem etiam Dei contemplationem unionemque mysticam evectis, non esse penitus abijciendam.

C A P V T II.

Passionem Christi piè recogitatam, ad divini amoris perfectionem suam contemplationem adducere.

§. I.

Passionem Christi piè meditationi subjectam, cujusvis sancta affectionis materiam præbere.

Primo igitur loco illud generatim ponatur: nullam esse sanctam affectionem animi, nullum quamvis præclaræ & excellentis virtutis exercitium, ad quod contemplantis cor non permoveat, piè recogitata passio Salvatoris. Quemadmodum enim (ut eleganter disputat S. Cyrillus Ierolymitanus) veris tempore una pluvia in terram descendit, & rosam quidem rubram efficit, album lilium, purpureum hyacinthum; & sic pro variâ cujusque plantæ conditione, in varios succos, colores, odoresque vertitur: ita una passionis

Cyech. 9.